



Q. D. B. V.

PROOEMIUM,
DE
PRÆCOGNITIS, ET APPARATV
ARTIS.

§. I.

Quam veteres *Criticen* dicebant, amplissimo *Critica Vete-*
definiebant ambitu. Illa enim, velut pro^{rum,}
tribunali sedens, nullum non scriptorum
genus sub censuram vocabat, ita ut, quæ
perperam dicta, castigaret, quæ loco mota,
transponeret, quæ varie aut ambigue lecta, notaret, quæ
in mendo cubantia, obelo configeret ac emendaret, sua
demum cuique auctori restitueret, latæque sententiæ soli-
das, gravesque redderet causas.

I. Κριτική, ἀπὸ τῆ κρίνειν, a *judicando*, Judiciaria dicitur, quod *ejusque ortus,*
ejus beneficio de libris, eorumque idiomate, characteribus, ætate, au-
tore, integritate ac lectione, bonitate demum aut nævis, dextre ac so-
brie judicium scisci consuevit. Natales nobilissimæ artis qui paulo
altius repetunt, ortum ejus ex veteri arcessunt Comædia, cujus inter
partes haud postrema erat, ut potiunte rerum populo Athenis, non
mores tantum plebis, formam reipublicæ, vitamque magistratum,